



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Populi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

euocarunt, à quo primùm libertate donati, eâdem postmodum exuti sunt. Restitere tamen donec Alexander Magnus Thessaliæ Princeps electus regionem hanc sceptro Macedonico adiunxit. Deuictò autem Persæ Rege in prouinciæ formam cum Macedoniâ transit.

§. 3. *Epirus.*

N V M. 1. *Nomen.*

Ἐπειρος, vt vulgò scribitur, aut *ἠπειρος*, vt vult Stephanus, *continens*, quasi *ἀπειρος interminata*, propriè sumitur apud Homerum, vt ait Eustath. in 2. Iliad. pro eâ regione quæ est ultra Ithacam, & Cephalleniam. Olim quoque dicta est *ORICIA*, vt tradit Dionysius Afer ab Orico vrbe, & portu. Item & *DODONA* à Thrasylulo Historico asserit Homeri Scholiastes, à Dodone Iouis filiâ, nomine mutuato.

N V M. 2. *Populi.*

MOLOSSI primi populi huius tractus, à quibus & dicti canes ferocissimi, quorum veteres meminere.

CHAONES gens Thracia, & Barbara, vt ait *vetus interpret Aristophanis*: vel vt ait *Aristoteles* in Politicis ab Oenotriis populis originem traxere. Ab *hiando* sortiti sunt nomen, vt *interpret Aristophanis* asserit.

THESPROTII ita dicti à Thesproto Laocoontis filio. A Lyco^{phrone}, Alexander M. Thesprotius appellatur, ab Olympiade matre Epiroticâ.

AMPHILOCHI nomen accepere ab Amphilocho filio Alcmaonis. Apud eos defluebat fluuius Inachus in Ambracium sinum cadens, aut vt volunt fabulæ in Argiam arcanis cuniculis subiens in Inachum Argium.

ACARNANES olim in Pleurone vrbe Ætolix habitauerunt Homero teste, atque ita dicti quòd crinibus intonsi essent. Quia Curetes ex Eubœâ crines anteriores deponerent, ne caperentur ab hostibus: & cum hi Curetes in Ætoliam transmigrassent, vicinos sibi populos Acarnanes nuncuparunt. *Pausanias* tamen ab Acarnano Heroë dictos contendit: Stephanus autem & Plinius Acarnaniam prius dictam esse *Curetium*. Euocati sunt Acarnanes ab Amphi-

philochis, & ab iis linguam Græcam didicerunt; ita *Thucydides*.

ATHAMANES: de his plura dicemus in Moribus, & Politia.

DOLOPES à quibus Climene ciuitas, Dolopis appellata est, & Regio. Hæc autem concessa est à Peleo Phœnici, cui & filium Achillem nutriendum commisit. Legatur *Homerus* 9. Iliados. Dolopiam urbem fuisse Scyronem tradit *Didymus* ad xi. Iliad. Dolopes autem fuere peritissimi fundibularij, vt tradit *vetus interpres Pindari*.

NVM. 3. *Quantitas.*

LONGITVDO Epiri à iugis *Acrocerauniis*, ad *Acheloi* fluuij ostia est 1700. stadiorum.

LATITVDO à *Leucade* extremâ ad *Pindum* montem 625. stadiorum.

NVM. 4. *Qualitas.*

ABVNDABAT olim Epirus bobus, ideóque *εὐβοτος* *pascuis* abundans nominata est, vt ait ex *Arriano* *Eustathius*. Qui etiam credit *Geryonis* boues non ex *Iberiâ*, sed *Epiro* abductos esse. Certè interpretes *Aristophanis* atque *Theocriti*, *Epiroticos* boues putant *Geryonis* *σπαργίς*. Hi porro boues erant admodum proceri, latis & amplis naribus, vnde notat *μεγαλοείης* dictos, & *λαείης*, à particulâ Græcâ *λα* intendente, vel à *Larino* bubulco. Iis autem nutriendis sufficiebant herbas montes interiecti inter *Macedoniam*, & *Thessaliam*, in quorum iugis campi patentes, & aquæ perennes. Eos *Pindari* interpres *επρωνας* vocat à *Dodone* ad *Ionium* mare extensos.

Laudantur & canes ex *Chaoniâ* regione apud *Athenæum* *Molossi* dicti, prognati ex *Vulcani* cane animato, quem *ἀφικτον* Poëtæ finxerunt.

Quàm fuerit Epirus populosa, & diues intelliges ex facto *Pauli Æmilij* apud *Liuium*, qui in eâ vno die 70. vrbes cepit quæ ad *Perseum* defecerant, ac mœnibus spoliauit; abducit 150. millia capitum cum tantâ prædâ, vt in singulos equites 400. denarij, in pedites 200. distribuerentur.

NVM. 5. *Mores.*

EPIROTÆ olim falsis carnibus non utebantur, vt tradit *Pausanias*.

Parall. Geogr. Tom. II.

XX